



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

8. De convocacione cleri, appellacione capituli et missione pro appellacionis prosecucione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Ffredericus Freysiken, Bernhardus Stapel, Conradus de Elmerinchusen et Engelhardus Jode, capitulum Paderbornense representantes, de nobilium et militarium genere procreati. Qui cum ad statutum eis terminum simul capitulariter convenerunt, et res ipsa ipsis secrete notificata et exposita erat, ipsi omnes simul nullo contradicente se illis, domino Coloniensi, impetracioni, incorporacioni et unioni unanimiter nullo excepto opposuerunt, spondentes, nullo tempore eos velle talibus manifeste vel occulte, quocunque colore quesito, in toto vel in parte scienter consentire, sed pro totis viribus illis resistere, eis obviare et contradicere usque ad eorum corporis et anime separationem et sanguinis effusionem. Et si ipsorum habitacionibus et beneficiis propterea privarentur et a civitate et diocesi Paderbornensi expellerentur, minime illa verentes,<sup>1)</sup> pre oculis habentes, sed fortissime et constantes in premissis sine formidine pro tunc et semper permanentes,<sup>1)</sup> si etiam soli sine ecclesiasticorum et secularium iuvamine causam istam deberent defensare, et sue ecclesie subditi ipsis in toto vel in parte repugnarent, domino predicto complacerent et in talem incorporationem et unionem, ut memoratur, factam occulte vel expresse quovismodo consentirent.

Dominis prenominatis capitulariter et unanimiter 8. concordatis, tunc sine intervallo abbates, prepositos, decanos, prelatos, plebanos, beneficiatos, nobiles, milites, militares vasallos, ministeriales, proconsules, consules et communitatum oratores sue ecclesie et diocesis fecerunt ad se ad civitatem Paderbornensem convocare. Qui cum ibidem secum in loco capitulari constituerentur,

<sup>1)</sup> Die Satz-Construction fordert vereri und permanere.

tunc ibidem nomine dominorum predictorum egregius dominus Henricus, decanus ante nominatus, in medium surexit, ipsis referens et exponens, qualiter eorum dominus Coloniensis et administrator ecclesie Paderbornensis, [sub modo et forma, ut supra est descriptum,] sibi et sue ecclesie Coloniensi fecerit ecclesiam Paderbornensem incorporari et uniri. Quod si sic sotiretur<sup>1)</sup> effectum, tunc diocesis Paderbornensis suis privilegiis privaretur, et ecclesia Paderbornensis nomine, re et honore in singulis supprimeretur, episcopum amplius non reciperet, et capitulum electione episcopi et privilegio per Romanum imperatorem desuper concessio orbaretur, sic quod de tali nostre matre ecclesie<sup>2)</sup> Paderbornensi fieret filia, et que prius erat libera, fieret ancilla, quod ipsi domini sui nequaquam permittere, inquantum in ipsis foret, intenderent, sed illis, inquantum valerent, vellent iuxta prenarrata contradicere et se opponere; et cum domini premissi potentiam formidarent, peterent, eis consilium dare in premissis, auxilium parare et eos a violentiis defensare, nec quovismodo domino ad proseguere<sup>3)</sup> petente et postulante<sup>4)</sup> consentire, ac bonum commune et proprium ad eos deventum iuxta pristinum morem conservare. Dictorum congregatorum deliberatione in premissis aliquamdiu prehabito, (sic!) per strenuum Ffredericum de Driburg tunc ad prenarrata dictis dominis responderunt. Si sic factum existeret et dominus Coloniensis taliter, ut prefertur, egisset, impetrasset et expedivisset, hoc eis per maxime displicere, nec vellent aliquo modo talibus consentire, consulentes, ut ante omnia, antequam quidquam contra ipsum attemptarent, domino ipsis notificata scriberent, veri-

<sup>1)</sup> für sortiretur. <sup>2)</sup> Schreibfehler für nostra matre ecclesia.  
<sup>3)</sup> für prosequi. <sup>4)</sup> Schreibfehler für petenti et postulanti.

tatem ab ipso perscrutando. Sic acquiescendo<sup>1)</sup> eorum consilio domino scripserunt in forma tali detruncali, prout infra statim continetur, satis ipsum in premissis amonendo, quod quasi nichil et ne oditum operabatur. Sed ipsis rescripsit, quod vellet statim ad suas partes Westphalie venire et tunc super tali scriptura sibi directa eis respondere. Statimque post hoc ad comitatum et castrum Arnsberg venit et plures de vasallis ecclesie Paderbornensis ibi ad se vocavit, muneribus et promissionibus plures corrumpens, pro suis inceptis inducens, sic quod in premissis sibi assistere promiserunt, sic quod tunc de suis infra descriptos ad capitulum Paderbornense destinavit. Qui nomine predicti domini archiepiscopi dominis ad sua scripta nequaquam responderunt, sed retulerunt, qualiter Beatissimus Martinus, papa, ecclesiam Paderbornensem sibi et sue ecclesie Coloniensi incorporavit et univit; ita peterent, ut sine contradiccione iuxta sue incorporacionis et unionis literas ipsum dominum admitterent, obedirent et de ter requisitis responderent. Quibus relationibus sic factis domini de capitulo ex causa supra et infra descripta contradixerunt, nec tales adverterunt<sup>2)</sup>, sed statim tunc ad sedem apostolicam et prenotatum Sanctissimum papam Martinum, male informatum et bene informandum, appellarunt, petendo apostolos<sup>3)</sup> et adhesionem ab omnibus iam statim supra denominata talia sine dilacione obtinentes.

Demum sine notabili dilacione honorabilem virum, dominum Hermannum de Rekelinchusen, canonicum prefate ecclesie, dicti capituli procuratorem, cum magnis sumptibus et expensis ad Romanam curiam pro dicte

<sup>1)</sup> einwilligen. <sup>2)</sup> Gehör geben, darauf eingehen.

<sup>3)</sup> „Apostoli“ sunt litterae, quae ab officialibus et ecclesiasticis iudicibus testandae appellationis gratia dabantur, quotiens Romam ad summum pontificem provocabatur. (du Cange.)

appellationis infra describe prosecutione destinarunt. Qui in eadem causa ibi ad plures actus iudiciales processit tam diu, quam sancta Synodus Basileensis maxime tunc in vigore persistens, causas singulas in curia pendentes ad se et presidentes consilii vocaverat. Vocatione tali dictus Hermannus Basileam accessit, ibi causam committi fecit, ad terminos multos iudiciales processit, sic quod tandem reverendissimus pater, dominus Julianus, tituli Sancti Angeli cardinalis legatus in Germania, ob spem amicabilis compositionis interveniende illustri principi, domino Adolfo, duci Julie et Montensis, ad certum terminum commisit terminandam, ut hec infra suis locis extensius describuntur, sic quod ex tunc dicta causa mansit in prosecutione appellationis taliter in suspenso, donec tandem fortuitu, ut infra manifestatur, fuerat sospita et mirabiliter de consensu utrorumque, tam domini nostri Coloniensis, quam capituli ecclesie Paderbornensis terminata.

9. Quando vasalli per dominum Coloniensem missi ad dominum revertebantur secundum suam voluntatem, parum reportantes, tunc dominum induxerunt, ut per se civitatem Paderbornensem intraret, cives corrumperet et per se capitulum visitaret, ut sic eos melius flecteret pro intensione sua consequenda. Dominus talibus acquiescens a proconsulibus et consulibus civitatis predictae postulavit, ut ipsum intromittere sine liberatione<sup>1)</sup> vellent. Quod renuerunt, sibi annuentes, ut cum ducentis equis veniret, cum totidem eum vellent sustinere, et non ultra. Quod dominus egre ferens et pro confusione<sup>2)</sup> non modica recipiens, civitatem intrare renuit, sed ad opidum Wartbergense se transtulit. Ibi iuxta suum desiderium receptus fuit. Ubi tunc capitulum,

<sup>1)</sup> Beföstigung, Verpflegung. <sup>2)</sup> Schande.